

ORATIO

(16)

QUAM PRO DEFUNCTO

HISPANIAE REGE CATHOLICO


ALPHONSO XII

HABUIT IN SACELLO PONTIFICIO

Rmus D. D. RAYMUNDUS MARTINEZ-VIGIL

ORDINIS PRAEDICATORUM

EPISCOPUS OVETENSIS, COMES DE NOREÑA
SACROQUE SOLIO PONTIFICIO PRAELATUS ASSISTENS




ROMAE

TYPOGRAPHIA VATICANI

1885

A. 43814 977109



SERENISSIMAE REGINAE CATHOLICAE
CHRISTINAE

HISPANIAE CLAVUM MODERANTI

FR. RAYMUNDUS MARTINEZ-VIGIL

ORDINIS PRAEDICATORUM

EPISCOPUS OVETENSIS, COMES DE NOREÑA
ET PRAELATUS ASSISTENS SOLIO PONTIFICIO,
FELICITATEM

Quem ego, iubente SS. D. N. Leone XIII,
Pont. Opt. Max., in Pontificio Sacello sermo-
nem habui de laudibus Alphonsi XII, Regis
Catholici, ac Tui, supra quam dici potest, di-
lecti Coniugis, nuper, Hispania universa lugen-
te, e vivis erepti; hunc, cum typis in lucem
edatur, nulli alii quam Regiae tuae Maiestati
offerendum dicendumque constitui. Siquid enim
dolorem a te ob tantam iacturam animo con-
ceptum lenire quodammodo posse videatur, illud
procul dubio fore censui, quod nempe Alphon-

Ecclesiae Praesul, ut dignum illum existimaret
qui coram se, ac eo Consessu, quo nullus in
orbe augustior, publica laudatione commenda-
retur. Cumque nullo habito tenuitatis meae
respectu, ea forte de causa, quod me sciret, ut
patria sic amore denato Principi, quam qui
alius, devinctum, ad id muneris me delegerit
indulgeltissimus Pater; continuo perspexi nac-
tam me opportunissimam occasionem gratos
animi mei sensus in Principem optimum, ac in
te, Principis optimi coniugem vere dignissimam,

omnes, praecipue religiosos viros, benignitate,
me, licet omnium minimum, post plurima ul-
tra mihi collata beneficia , velut ad cumulum
extero anno ad Ovetensem sedem designavit;
neque unquam postea singularis, qua me, seu
Ipse, seu Tu quoque Regina clementissima,
prosecuti estis benevolentiae signa ac pignora
defuere.

Excipe igitur lubenti animo breves has
paginas non eloquentiae fuco ac lenociniis or-
natas; sed quas sincerus gratusque animus, licet

rabile fatum, fere ex tempore fudit. Faxit Deus
qui tibi Hispaniae nostrae habenas concreditas
voluit, ut quae tam egregie cepit Alphonsus
ille tuus, simulque noster, Ipsa ad optimum
finem perducas; utque Regia Proles, populi
spes atque amor, tantae Matris tutela ac sa-
pientia, ad gentis nostrae felicitatem concrescat
usque et usque.

Romae, die xiv Decembris, Anni Domi-
ni MDCCCLXXXV.

Hoc igitur unum afflictis adeo ac prostratis Hispaniae rebus adhuc supererat maximum infortunium! — Nempe, post Oriolenses et Murcienses agros, inundantibus imbribus miserrime vastatos; postquam Boetica provincia, cuius eximiam pulchritudinem omnes affatim mirabantur, horrendis quassata terraemotibus, et oppida diruta et urbes ipsas solo pene aequatas, incolasque suos hac illac errantes, non modo tecto, sed et pane et vestibus prorsus destitutos aspexit; postquam Hesperia fere universa gemitu ineffabili indoluit, cum, grassante dirissima peste, quae nec civitatibus nec vicis vel abditioribus parcens, luctu ac moerore omnia complevit, innumerasque civium vitas immiti falce succisas deflere compulsa est; nunc demum dolendum nobis ac flendum uberrime ob interitum Alphonsi Regis, aetate qui adhuc florente, animique dotibus apprime spectabilis, regni universi spem atque expectationem iure meritoque portendere vi-

Proh! vana et inanis hominum spes; ac misera mortalium conditio; simulque incomprehensibilia Dei iudicia! Utinam doloris magnitudo non obruat os meum, neque linguam praepediat quominus omnium moerorem fideliter exprimam; ac Tui praesertim dolorem, Pater Beatissime, quem lugentem ob acerbam iacturam egomet ipse meis oculis gratus unaque moestus conspexi.

Verum, undenam orationem adoriar meam? Singulari prorsus Romanorum Pontificum beneficio qui Hispaniae universae cum imperio praeest REX CATHOLICUS appellatur: igitur de REGE primum, deinde de CATHOLICO, quantum ingenii vires patientur, sermo mihi habendus erit. — In conspectu tantae Sanctitatis, verba facturo, nemo sit qui succenseat nihil mihi sumo. Evidem silentio fletuque, quam voce eloqui maluissem: at parere mihi religio fuit, meque summopere reluctantem utpote tenuitatis meae plane conscientium, una Summi Pastoris voluntas, unum Ipsius imperium cogere potuit, ut hanc elatiorem cathedram locuturus concenderem.

I

Neminem quidem latere puto, Beatissime Pater, qua desolatione desolata esset gens hispana, cum die trigesima mensis decembris, anni millesimi octingentesimi septuagesimi quarti, Alphonsus, eius nominis duodecimus postea dictus, tunc Princeps vix septendecimum annum ingressus, Hispaniae Rex renuncia-

maiestate ubique posthabita; flagitium undique debaccari; seditiones fere quotidie hic illic insurgere; Omnipotentis Dei templa pessumdata, sacerdotes eius gementes, virgines eius squallidae, omnis denique Hispania oppressa amaritudine: en calamitates, quae, velut agmine facto, infelicem terram illam undeque vexarunt.

Ast Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, recordatus est misericordiae sua. Regia etenim maiestate in iuvene Alphonso restituta, felicique exitu cum hac Beati Petri Cathedra, omnis sanctitatis omnisque iuris fonte, inito foedere, splendens pacis aurora, concupiscenti animo diu desiderata, in omnibus Hispaniae finibus demum effulsit. Attamen ut hanc pacem firmiter statueret, Alphonsus iam tum bellum gerere coactus fuerat. Nec vero hoc consensit, vir aliunde ad pericula fortis, nisi necessitate compulsus, vel ut tranquillitatem populis adsereret, seu ut iustitiae ac legis imperium firmaret; probe siquidem noverat nec regibus fas esse arma capere cupiditatis seu ambitus explendi causa; quamquam perspectum haberet muneris sui partes in eo sitas esse, ut paratus semper ac promptus existeret in hostes dimicare ad regiam maiestatem pro viribus tutandam, et populi sibi commissi felicitatem tota animi contentione fo- vendam.

Quapropter disciplinam exercitus tum terrae tum maris omni cura ac vigilantia perpetuo intendit. Pamplonense enim inexpugnabile castrum, ab ipso munatum et perfectum; navium ad classem augendam et

a domestica arte vel industria proficisci potuit, ac praecipue tormentum bellicum cui nomen *Sotomayor*, necnon permagnifica illa officinarum exstructio in Trubia, ad tormenta bellica ex chalybe conficienda, ut gentem hispanam immunem redereret a vectigali hucusque exteris impenso, mirifice virtutes militares praedicant Regis Alphonsi. — Cum vero ea omnia quae ad urbium ac regnorum munitionem spectant, nisi civium virtute militarique arte coniungantur, nihili quaecumque demum illa sint, valere perspectum sit, iuvenis Princeps historicis sedulo disquisitionibus incubuit, studiisque de acie instruenda pertractantibus; duces suos qui progressus in arte bellica apud exterias gentes accurate investigarent ac discerent, misit; academias, ut eiusmodi disciplinae cunctis paterent instituit, eoque duce ac fovente bellicas exercitationes, sedulo ac saepissime habitas, omnium qui militiae dant operam animos in sui amorem rapuit, hispani militis pater sponte acclamatus, qui iure inter militiae duces principem locum tenet.

Ad tanti vero operis veluti coronidem, collegia liberis militum vita functorum, instituendis alendisque excitata, in oppidis quae vulgo *Guadalajara* et *Valdemoro* audiunt, qua esset pietate in suos atque affectu, Alphonsus Rex, patefaciunt; qui si necessitate coactus militares copias armigerorumque acies paravit, magnanimo tantum et generoso cordis sui serviebat desiderio, cum hilari animo curas omnes opesque indigentibus prodesse sategit.

In tuto iam regni tranquillitate posita, Rex Al-

sulere coepit, ac vulneribus mederi a praecedente rerum confusione allatis, quae patriae exitio erant. Hoc ingenii sui studium, hic eius sollicitudinis scopus, haec desideriorum suorum meta. — Quomodo vero Regis prudentiam extollere, quae virtus maxime ad reipublicae moderatores attinet, quin partium studio, quamquam immerito, plus aequo me adhaerere quis suscipitur? — Quae ubique gentium humanae societatis fundamenta iure ac merito habentur: religio nempe, familia, ac rerum cuique pertinentium libera ac firma possessio, aut labefactata, aut funditus fuerant eversa. Bonis enim, quae ad Ecclesiam Catholicam pertinebant, ereptis; exigua cleri dotatione denegata; foedere cum hac Sancta Sede olim inito, disrupto; templis dominibusque religiosis nefando sacrilegio aut dirutis, aut divenditis, aut profano usui deputatis, quid mirum si in tanta rerum perturbatione, flagitosi homines, aliorum scandalo edocti, manus in privatorum etiam bona iniicere ausi fuerint? Hinc *socialismus*, imo et *communismus*, tamquam unica humanae societatis regula ab inquis turbis in meridionalibus regionibus conclamati.

Spreta coniugii sanctitate a Christo Domino tam sublimiter elata, in eius locum turpe contubernium suffectum erat, simplex nempe et pure humanum foedus, quod *civile* vocare non erubescunt. Sacrosancta summeque venerabilis patrum religio non alio iure ac securitate munita, quam quo fruebantur haeresum sectae ab hyperboreis regionibus inventae, quaeque non nisi hominum ignorantiae et cupiditatum sunt foe-

xilla levarent, armaque sumerent, ac strenue dimicarent, ut Dei et conscientiae iura vindicarent. — Eo usque deventum erat, ut libertatis nomine, viri catholici adi gerentur ut iurejurando firmarent ea, quae nihil aliud quam haud bene dissimulata a fide defectio fuissent. In aureis historiae nostrae tabulis conscriptum legetur, olim, tum sacerdotes, tum virginis Deo sacras, tum etiam viros saeculares, martyrum christianorum exemplum imitatos, absque haesitatione paupertatem, persecutio nes, exilia ipsa perferri maluisse, quam sui status leges praetergredi, iterum saeculi potestates edocentes, nihil impavidum magis, ac magis firmum reperi ri, quam animum hominis christiana virtute robora ti. — Quae quidem omnia sensit, agnovitque Rex Al phonsus, ac propterea eius agendi ratio, cum robur addendo his qui iustitiae praesunt, ut civium iura in tuto ponerent; tum sanctitatem, indissolubilitatem, liber tamque matrimonii proclamando; tum demum reli gionem catholicam, unam esse hispanorum religionem decernens, quam nemini liceret publice impugnari, eiusque cultus ac mores nulli fas esse, quin poenit obnoxius fieret, aperta ostentatione contemnere. Qui bus salubribus legibus commotam tempestatem sedavit, pacemque reduxit, supremum omnium bonum, quo quidem, nisi publica veritatis et iustitiae profes sione, potiri ac frui numquam concessum fuit.

Verum, ut in religione ac moribus instaurandis, ita Alphonsus populis erudiendis, ac litteris et optimis disciplinis instituendis egregie incubuit; quae quidem res, sicuti et pacis et bonorum omnium, quan

origo et fons est, si contingat eam a tramite verae sapientiae deflecti. Flebilis admodum et luctuosa tunc erat ex hac parte Hispaniae nostrae conditio, ubi ingenui iuvenes catholicae illius regionis, ne prohiberentur quominus altiores gradus adipiscerentur, maiora lycaeа adire cogebantur, in quibus non raro docentes essent notorie haeresi imbuti, quique a catholica veritate alienam profitebantur doctrinam. — Ex Decreto tribus abhinc mensibus edito, atque a Rege Alphonso subscripto, clare patet ad ipsius au- res querelas quas undique christiani homines me- rito extulerant pervenisse; nec spem alebamus ina- nem, fore ut brevi temporis decursu, rerumque ad- iunctis non obstantibus, Ecclesiam catholicam maio- rem adhuc libertatem et auctoritatem consecuturam ire. Faxit Deus ut incoepio ab itinere non receden- tes, et dira edocti experientia, qui sceptrum tenent gentium Hispanarum non obliviscantur veram sapien- tiam in Dei timore inniti, et scientiam non esse ne- que libertatem, ubi Dei negantur et conscientiae chri- stianae iura leduntur.

Qui adeo strenue ad fundamenta humanae socie- tatis firmando satagebat, haud oblivisci potuit cete- ros fontes ex quibus emanant aquae queis fecundius redditur patrium solum; ideoque agriculturam, com- mercium, industriam artesque omnes constanti, ar- dentique animo fovit ubique ac iuvit Alphonsus Rex; sapientum adunavit conventus, publicas exhibitiones frugum, pecudum, fodinarum, omniumque artium pro- movit, tum Matriti, tum aliis in locis, ut essent omni-

villas, illam praecipue quae Alphonsi XII vocatur, ut iu-
 venibus agriculturae vacantibus schola essent et exem-
 plar; scientias societati utiles muneribus praemiisque
 auxit, proprio aere iuvenes misit qui liberales artes ac-
 curatius apud exteris addiscerent; acuit Hispanos ut
 sua manufacta in exhibitionibus tum Philadelphiae, tum
 Viennae, tum Parisiis, tum Londinii, tum Amste-
 lodami, tum Antuerpiae patefacerent; novas consocia-
 tiones maritimas, quae Indiarum cum Metropoli com-
 mercium foverent regio aere locupletavit et auxit; ami-
 citiae, pacis et commercii foedera cum praecipuis fere
 omnibus ac potentioribus, quae in mundo sunt, po-
 pulis inivit. — Et si regiones meridionales Americae,
 quae olim imperii nostri provinciae fuerant, deposito
 odio, matrem Hispaniam iterum reverentur ac dili-
 gunt, hoc Alphonsi prudentiae ac virtuti deberi, per-
 spectum est. Certe is tum consuetudinis honestate,
 tum cordis nobilitate, tum demum ingenii perspicui-
 tate, omnibus regibus ac principibus apprime acce-
 ptus, non raro vel hostium animos devicit, ut odium
 in amorem verterent; quo factum est ut, Alphonso
 regnante, visi sint Matriti ex omni lingua quae sub
 caelo est sapientes, et ex dissitis etiam regionibus prin-
 cipes praeclari; et qua ipse erat prudentia singulari,
 et ob amorem, quo ipsum populorum rectores pro-
 sequebantur, non semel sedatae tempestates, superata
 pericula, solutique conflictus, quibus et populi pax, et
 patrii soli integritas in discrimen posita esse videbantur.

Haec sunt, Beatissime Pater, quamvis leviter oscu-
 reque delibata, quae Rex Alphonsus preclare gessit

mitatibus perpetuo obnoxio. Initia miranda, quae pristinam Hispaniae gloriam atque opulentiam, sanctae religionis augmentum, necnon pacis et securitatis fructus universae illi genti polliceri feliciter videbantur. — Nunc ulterius progrediendum ad id, quod proprium loci huius videtur: Alphonsum Regem hucusque perspeximus, nunc et Catholicum videamus.

II

Alphonsi, Asturum Principis, in Ecclesiam ingressus felici quodam praesagio signatus fuit. Immortalis memoriae Pontifex Pius IX eum de sacro levavit fonte, et tenerimo amore ipsum prosecutus, venerationem illam, illudque studium in Sanctam Petri Sedem cordi ipsius inseruit, quod totius postea vitae eius tessera quodammodo extitit. Reginae Elisabeth, piae matri placuit ad nobile fanum de Covadonga in nostra Dioecesi, fidei et historiae monumentis insigne, filium producere, ut confirmationem, sacri christianis mysterio ibi reciperet, ubi sub Beatissimae Virginis tutamine et praesidio initium sumpsit tum religiosa tum civilis Hispaniae, post Maurorum irruptionem, instauratio, et una omnium voce infans Pelagius Hispanorum Rex conclamatus fuit. — « Coelorum Domina, postmodum pia ipsa Elizabet Caesar Augusta exclamabat, regium infantem Immaculatae Virgini in columna marmorea stanti, offerens: — Coelorum Domina, si filius iste meus non est Christo Domino servitus, ipsum quantocius ex hoc mundo educito. » Quid vero de Prin-

— 10 —
sit, cum divino pabulo prima vice reficeretur? Ipsi huius sacrae domus lapides testes sunt innocentiae et candoris speciosi Principis Alphonsi, angelorum escam ipsius supremi Pontificis manu excipientis, ut robur in exilio, praematura vix undecim annorum aetate, sibi foret, unaque magnorum facinorum, ad quae natus erat, felix faustumque praesagium.

Tam egregie exorsus, ac superum auxilio robatus, adversae sortis vicissitudines atque hominum nequitiam in posterum sic tulit, ut inanem perituri mundi gloriam sperneret; unam in Deo spem poneret; ac regium sceptrum sibi oblatum constanter reiecerit, quod obtineri haud poterat, nisi pactionibus adhaereret christiano principe prorsus indignis.

Ad avitum Sancti Ferdinandi thronum demum evectus, maiorum fide, sarta tecta et integra maiestate, non modo innotuere praeclarae dotes, quarum adhuc infans specimen dederat, sed et eas mirifice in eius corde coaluisse sine mora perspectum fuit. — In ipso regio splendore modestum ac sobrium se exhibuit; in preferenda adversa fortuna magno fuit animo; comis sine iactura maiestatis, populi adeo amator effectus, ut numquam iniuriarum memor extiterit; magnificen-tiam non luxu et superbia ostentando, sed bonorum omnium, ac eorum qui de patria bene meriti essent, protectione ac tutela; ita ut cito evanuerint timores, diffidentiae, atque inimicitiae primitus exortae, pluresque in suas partes traxerit, et illorum quoque amorem sibi conciliaverit. Benignus in omnes, et maxime in domesticos quibus apprime charus extitit,

ministerio a die qua Hispaniae ditionis sceptrum sumpserat, utebatur.

Praeclarae hae dotes christiano principe dignae qui ab incunabulis sancte institutus fuerat, tunc maxime splendescere, ac veluti regiam maiestatem induere visae sunt, cum singulari Dei beneficio Mariam a Mercede in regni deliciarum sic et dolorum sociam sibi devinxit coniugem Alphonsus: Mariam, inquam illam, candore et innocentia insignem, quam oppido Rex diligebat, et a qua vicissim, ut christianos decet sponsos, diligebatur. Sed, heu! vix quinto post mense a conubio inito sponsa hac praeclarissima Rex, populusque hispanus piissima matre orbatus est, ac si tentare Deus velit Catholici Principis virtutem, quae fortior quidem ac robustior tunc apparuit, cum validioribus quatetur adversitatibus. — Non semel nefarii homines ac scelesti parricidas in eum manus iniicere non sunt veriti; nec semel clementissimi Principis misericordiam elucescere visum. Alte haerent cordi, ac probe memini quae, me audiente, Rex ipse protulit, paulo post ab immani flagitio patrato: « Deo opitulante vita mihi servata est, — inquit ipse — quam ob id solummodo depereo, ut saluti populi mei consulere valeam. » Vere rege catholico digna verba! quae, ni fallor, totam Alphonsi vitam compendio referunt.

Cum Murcianos agros imber inundans devastaret, Princeps praesto aderat, domus, tuguria, xenodochia, civitates et vicos circumcursans, solatium, auxilium, opem abundanter indigentibus praebens. Cum Bethica terra ingentibus motibus quateretur, ac populos ter-

parcens sumptibus, viduis ac orphanis large subvenire, animos erigere, ac quotquot in angore positos reperiret, pro viribus recreare omni contentione, nec sine sui discrimine, procuravit. Tunc enim hyeme recrudescente, magna que nivium vi cum ventorum impetu erumpente, morbus, quo gracilis ipse ac corpore delicato iam infici caeperat, forte invaluit, ut ipsius interitum misere properaret. Is vero nullis territus periculis aut incommodis viarum, cunctis affabilis, hilarique vultu, verbis solabatur afflictos, miseros ope sublevabat, sui tantum immemor, dum cunctis prodesse patria caritate valeret.

At quis non meminit recentioris miseriae, cum magna Hispaniae pars asiatica lue inficeretur, cunctusque populus miserrime anxiaretur? Quem latet illustre Alphonsi Regis facinus, cum, iis qui regni gubernacula tenebant frustra obstantibus, eiusque vitae metuentibus, is, clam ac si fugeret, nemine sciente etidente, in urbem quam Aranjuez vocant, ubi tunc morbus quam maxime grassabatur, summo mane apparere visus, et morientis lectulo assidens, et febri laborantibus animos addere, et inter ipsa defunctorum cadavera, per loca corrupto aere infecta circuire non dubitaverit, dummodo praesens aegros solaretur, et miseriis immani calamitate percussis levamen aliquod afferret? — Ut in prosperis non elatus, et coram positus periculis impavidus, sic ad adversa quaeque superanda virili semper animo fuit: seu ipsos peste infectos manu apprehendere non dubitaret; seu regni provincias post seditionem Pacensem, a militibus

19

contemneret; seu, fervente pugna, ignitis undique globis exsibilantibus, ab hostibus se oppeti presentiret.

Quae ad avitam sanctamque religionem spectant, ut Regis vere Catholici animus appareat, paucis absolvam. Nihil magis ei cordi fuit, quam aras omnipotenti Deo sacrandas excitare, templaque condere; cumque solemnni ritu tum insignis fani Deiparae, vulgo de Covadonga, nostrae Ovetensis dioecesis, tum cathedralis Matritensis in honorem ipsius Virginis sanctissimae titulo de Almudena fundamenta iaceret, contineri haud potuit, quin laetitia intimo ex animo erumperet; gratiasque summas, cunctis spectantibus atque audientibus, pro singulari beneficio Illi ageret, qui et populis et regibus dominatur. — Cuius quidem pietatis in religiosorum hominum ac mulierum dominibus ubique per Hispaniam seu excitandis, seu foven-
dis, seu tutandis cura novum exhibuit argumentum. Ipsi enim perspectum erat quantum commodi et adiumenti religiosae hae familiae et clero et populo christiano semper attulerint; quantumque damni ac detrimenti passa fuerit Hispania nostra iam tum cum octo abhinc lustris huiusmodi pietatis ac scientiarum domicilia, eversa fuerant ac profligata. Nec tantummodo viris religiosis favere sat fuit Alphonso Regi, sed et ipsos ineffabili excipere caritate, eorum domos comiter hilarique aspectu adire, eorumque precibus animum benigne inclinare, in deliciis illi fuit. Testes appello sodales ex inclito Ordine Augustinensi, quibus nuper Escurialense monasterium, toto orbe celeber-

quiescit. — Neque oblivioni danda Alphonsi Regis assidua cura qua Episcoporum auctoritatem libertatemque vindicaret ac tueretur; quam ut magis expeditam redderet, quasdam leges antiquitus ad hoc conditas ut Ecclesiae iura coarctarent seu minuerent, suprema qua pollebat auctoritate abrogari consensit.

Quod si ulterius progredi libet, et Alphonsi Regis in hanc Sanctissimam Petri Sedem venerationem et obsequium — quod nostris praesertim diebus sinceuae religionis ac pietatis certissima est nota — commemorare; si illius erga Pium IX, immortalis memoriae Pontificem, propensam voluntatem enarrare; si mutua benevolentiae et amoris officia, quibus tecum, Beatissime Pater, quodammodo certabat, recensere velim, metuendum summopere est, ne quae ad dolorem leniendum esse debuerat dilectissimi filii laudatio, ea in corde Patris amantissimi telum altius infigat, atque acerbissimum vulnus recrudescat. Adhuc loquuntur, et in aevum loquentur Litterae illae vere admirabiles quas tibi, Pater Sanctissime, Filius morem in exemplum gerens, morti iam proximus, supremos grati animi testes dedit, ob controversiam de Carolinis insulis ortam, a nullo quidem aequius ac sapientius quam a Te diiudicandam, ut ipse arbitratus fuit, a Te vero summa prudentia et felicitate, brevi temporis intervallo, diremptam et absolutam. Nec mirum! Ex quo enim ad regnum accitus fuit, nihil ipsi magis cordi, quam Pio IX Pontifici Maximo, — a quo se e sacro fonte levatum fuisse pro summo ducebat honore — se suaque omnia, gladium nempe, opes ac

Cuius quidem oblationis, utpote quae ex vere pia sinceraque prodiret voluntate, neque immemor neque negligens fuit unquam postea, quin potius et saluti et libertati et paci Ecclesiae perpetuo intendit; et si quando aliquid mente evolveret, idque a summa Petri Sede non omnino probari suspicatus fuisset, statim a proposito resilibat, hoc unum in votis habens, omnia quae a se vel suo nomine gererentur, ne lato quidem ungue a Summi Pastoris placitis dissidere.

At, proh dolor, proh calamitas omnium luctuosissima! Principi optimo, Regi ad populi delicias nato, pacis assertori, Religionis vindici, suprema iam imminet hora! Quis siccis oculis haec in mentem valeat revocare? Nondum lacrymae aruerant, quibus et regiam coniugem et sororem sibi merito carissimam diu et amore, ultra quod et dici et suspicari fas sit, luxerat Alphonsus; cum ecce Alphonsi ipsius interitus clamore, lacrymis et luctu ineffabili Hispaniam replet universam! Heu! nimis propere nobis praereptus, florente adhuc iuventa, cum bonorum omnium expectationem tam mire excitasset; cumque ubiores in posterum prudentiae, pietatis, omnisque virtutum modi fructus ab eo populi iure praestolarentur! Felix ipse, si ut speramus, ad superos evolavit, bene actorum praemia percepturus; at luctum tamen et lacrymas relinquens, et piam coniugem ex corde dilectam, et matrem incomparabilem, et filiolas adhuc aetate tenurimas, et dulces sorores, regnumque denique universum, cuius spes omnis eius morte praecisa; licet non extinctus amor, quo regnum catholico nomine

in aevum prosequetur indivulse. — Ergo tantus Rex a nobis recessit? Minime totus, quia in Christina, Reginam clavum regni tenentem reliquit, et in filiabus, pietatis haeredes, quibus Christi acquisivit gratiam et exercitus fidem. *Nec moveat aetas*, ut cum Ambrosio loquar, nam *fides militum, imperatoris perfecta est aetas*. Et istis, in hoc vivendi genere constitutis, intendum est, ne sint ingrati, sed pii pignoribus Principis sedulum ac patrum impendant affectum. Interim pia Mater Ecclesia Deum Opt. Max. deprecatur ut anima Alphonsi, in longo saeculorum ordine quiescat, nosque meminerimus Regis pii, Regis misericordis, Regis fidelis, Regis, verbo dicam, Catholici, testante sacro Eloquio: *Magnum et honorabile est homo misericors: invenire autem virum fidelem difficile est.*

